



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Romanus & Barula MM. 18. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

18. Nov.

VITÆ SANCTORVM.

561

suo depinxit. Sub noctem VIRGINI sacrâ, ædem hujus frequentari ab Angelis cum multo lumine vidit, & portâ sponte suâ referatâ ipse etiam admissus est. Tam charus cælo, castigatus scilicet ab hoc non semel est. Etenim somnum dormientis in natalitiâ Christi nocte Angelus alapâ discussit. Tam non possunt ferre Superi Episcopum dormientem. Jam simul ac lapsus est in nescio quam gloriolæ vanæ cogitationem, cquus etiam ipse lapsus sub GREGORIO reprehendit GREGORIVM. Itaque in posterum miracula, quæ plurima patrabat, non sibi sed Divorum lipsanis, quæ ferebat, adscripsit. Congressus Romæ cum Gregorio Pontif. cum hic viri staturam (multum animo minor erat) tacitè miraretur, non nescius arcanarum cogitationum noster, Dominus, dixit, fecit nos; non ipsi nos. Itaque maximi deinceps GREGORIVM ipse etiam Magnus Gregorius fecit. Ex Surio.

*Tres virtutes sunt, quæ pueris adolescentibus magis congruunt, Verecundia, Faciturnitas & Obedientia. Non est autem dubium, si has studuerint habere, quin possint, Christo duce, ad culmen perfectionemq; virtutum ascendere.* S. Bern. l. de Ord. vitæ.

SS. ROMANUS & BARULA MM.

18. Novembris.

**P**Arabat anno Servatoris ccc. i. Asclepiades Procos. excindere templum Christianorum Antiochiæ. Huic nimirum ROMANVS sese opposuit, & dictis suis animos sociis unicus addidit. *Nunc demum pugnandum pro Aris cogitarent. Hostem utique esse Asclepiadem patriæ, qui huic DEVM ereptum iret. Pulchrum fore, ut aras defenderent, cadere ad aras litaturos. In quamcumque demum partem alea caderet*

A a 5

pugna,



*pugna, victores Christianos futuros.* Captus igitur velut seditiosus ROMANVS, & ex equuleo suspensus, cum plumbatis cæderetur, ferreum se præbuit. Quin causæ optimæ fidens, ausus est ad teneræ ætatis testimonium provocare. Audiret vel ex hâc iudex, Deumne unum an dæmonas torcolere præstaret? Et ecce evocatus BARVLA infans penè non minùs fortiter quàm facundè pro DEO & ROMANO dixit, dictaque sua flagris & ipse concisus sanguine firmavit. Sic enim verò peroranti filiolo acclamavit è turbâ mater fortissima, quin inter tormenta sitibundum objurgavit etiam, quòd aquam rogaret, quando Superi sanguinem ipsius sitirent. Inde ad supplicii locum & dux & bajula filii caput abscissum & sanguinem, dulci urnâ, sinu excepit. At ROMANVM ad ignes damnatum patrocinate cælo imber absolvit. Quin linguâ orbatus innocentiam suam tamen prius loqui non desit, quàm strangulatis faucibus vox intercepta est. Sed & hujus Echo cum plausu cælo excepta. *Ex Prud. & Chrysof.*

*Quid illi grave videri poterit, qui semper mente tractat quàm non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? quid concupiscere poterit in saeculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium? S. Bern. serm. 4. de Ascens.*

S. ODO ABBAS. 18. Novembris.

**O**fficio suo fungi patres à patre ODONIS discant. Unicum & vix natum filiolum è cunis inter brachia in cælum sustulit, divo què Martino & sacris devovit. Dixisses assensum infantem, ita non tam lac maternum, quàm erga Martinum amorem suxit, qui scilicet cum puero deinde crevit.